



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

D[omi]nica sub oct. natalis d[omi]ni Euangel. Erat Joseph [et] mater ei[us].
Luc. 2. Homili[æ] 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

86 **DOMINICA POST**
CHRISTI NATALEM,

Euangelium Lucae. II.



Zach. 14.

IN illo tēpore: Erant
pater eius & mater
eius mirantes super his
quę dicebantur de illo.
Et benedixit illis Sime-
on, & dixit ad Mariam
matrem eius: Ecce po-
situs est hic in ruinam
& in resurrectionē mul-
torum in Israel, et in si-
gnum cui contradicet̄.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut
reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et
erat Anna prophetissa filia Phaniel de tribu
Aser, hæc processerat in diebus multis, & uixe-
rat cum uiro suo annis septem à uirginitate sua.
Et hæc uidua erat usq; ad annos octoginta qua-
tuor, quę non discedebat de tēplo, ieiunijs et ob-
secrationibus seruiēs nocte ac die. Et hæc ipsa ho-
ra superueniens, confitebatur domino, & loque-
batur de illo omnibus qui expectabant redem-
ptionem Israel. Et ut perfecerunt oīa secundum
legē domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatē
suam Nazareth. Puer autem crescebat & cōfor-
tabatur spiritu, plenus sapientia: & gratia dei
erat in illo.

Evangelij huius historia non die contigit hodie
no, sed eo quo purificata est Maria, Christo iam
nato, circumciso, à tribus magis adorato, in tem-
plum præsentato, & in summa, existente dierum quadra *Luce. 2.*
ginta. Hodie tamen illo utitur ecclesia, quoniam Maria
& Ioseph admirantibus super omnibus illis, quæ de Chri-
sto puero dicebatur, multo magis nos quoque cum stupore
quodam uelut attonitos, demirari conuenit, tempore
præcipue hoc sanctissimo, super ijs quæ de puero Iesu no-
bis sunt dicta. quomodo ille uerus deus & homo ex ma-
tre natus sit uirgine, quomodo natiuitatem hanc pasto-
ribus adnunciârit angelus, quanta lætitia decantârunt an-
geli, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bo-
næ uoluntatis. Et dum quis talia attentus cogitat, mira-
culum illud dei meditans immensum, deum hominem
factum, natumque ut alium infantulum &c. quomodo cõ-
silia illa diuinæ maiestatis occultissima nõ admirabitur?
Christum enim uerum deum & hominem esse natum, tã
est admirabile, ut illud Iudæi, Turcæ, Sarraceni, Ethni-
cique omnes adsequi nondum possint. De quo aliàs.

i. ¶ Admirationem parentum CHRISTI, Lucas pri-
mum commemorat, dicens: Erant pater eius & mater
eius mirantes super ijs quæ dicebantur de illo. Patrem
CHRISTI, Iosephum intellige, sed non eo quo Photi-
nus hæreticus putabat modo, Iosephum fuisse paren-
tem uerum CHRISTI, quod & falsum est & impium.
Sed neque euangelista ille noster immemor hic erat,
eius quod capite primo scripserat, sciebat adhuc quid il-
li per Gabrielem & denunciasset & promississet deus. Ni-
hilo mutatum perstitit ibi sanctæ uirginis propositum,
cum diceret, Quoniam uirum non cognosco. Quomo-
do autem hic pater Christi dicatur, Beda responder: Pa- *Beda sup*
terem saluatoris appellat Ioseph, non quo uere pater eius *Lucam.*
fuerit, iuxta Photinianos, sed quo ad famam Mariæ con-
seruandam pater sit ab omnibus æstimatus. & opinionẽ
uulgi exprimẽs, quæ uera historiæ lex est, patrẽ Ioseph
nũcupat Christi, quãuis & eo mō pater illius ualeat dici,

quo & uir Mariæ recte intelligitur.

**Instit. de
Imper. ff.
de adopt.
Luce. 3.** ¶ Deinde pater Christi dici etiam potest, tanquam nutritius, quia eum enutriuit, quomodo filiū aliquis suum nominat, quem tamen non genuit, sed adoptauit tantū. Et hoc quoque aperte testatur euangelista sequenti capite, cum ait: Iesus erat incipiens annorum quasi triginta, ut putabatur filius Ioseph: ubi omnis iste Photinianorum hæreticorum error deuictus & confusus corruit. Euangelicus porro contextus sic habet. Erant pater eius & mater eius mirantes. Super quibus tandem quibus nimirum que dicebantur de illo. At quis tanta hæc dixerat? Angelus nempe ad Mariam, ad Ioseph, ipsa quoque ad Mariam Elizabeth, & ad pastores angeli, tres Magi, Simeon & Anna. Omnes illi admiranda prædicauerant de Christo. At **Bernard.** qui Bernardus hanc uirginis matris admirationem pulcherrime inducit, ego ultro breuitatis studio pertrāseo. Namque ex euangelio magnas habemus huius admirationis causas, quod angeli adnunciarunt, quod exultauit Iohannes adhuc infans in utero matris, quod Zacharias mutus antehac, loqui cœpit & benedicere uominum, quod eundem laudabant pastores, quod angeli cantabant, quod lucebat stella, quod currebant Magi, quod Simeon ille senex prophetabat & Anna, ut merito illud Isaiæ dicere potuissent: **Isaiæ ult. 1.** Quis unquam audiuit tale? & quis uidit huic simile?
2. ¶ Sequitur in textu, Et benedixit illis Simeon. Que qualisue fuerit benedicendi formula, scriptura non exprimit. Sunt qui putent eum laudes tantum & gratias deo egisse omnipotenti. Tunc enim deum benedicit creatura, dum & grata est illi, & eum laudat. Alij tamen uolunt Simeonem ita benedixisse eis, sicut Heli Annæ benedixit, cum filium suum Samuelem adduceret in templum. Equidem sane diligenter super hæc benedictione inquisiui, & nemo miretur principio Simeonem Mariæ benedixisse & Ioseph, quamuis uitæ sanctimonia dignioribus se apud deum: ille tamen maior eis fuit in officio sacerdotali, cui hoc quoque propriū incumbit, benedicere populo. Et quod ad benedictionem attinet, crediderim ego illā fuisse, de qua in Numeris sic habetur: **Nume. 6.** Locutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filijs eius:

Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi dominus & custodiat te, ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, cōuertat dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Magnū uero est quod non abiecti nominis quidam ex Rabinis Iudæorum, Moyses Maimonis in libr. More dicit, sacerdotes benedictione hac usos usq; ad Simeonē iustum, nec post eum amplius: quæ sane fidei nostræ longe efficacissima probatio est. Cum enim sacerdotium Aaronis in sacerdotio Christi cessauit, Paulo testante, illius quoq; cessauit sacerdotij benedictio: omniaq; nūc nouo modo in nomine Iesu cōsecratur, sicut quondam in illo ineffabili nomine tetragrammato, יהוה. Audiant hæc qui sapiētes sibi metipsis uidentur, stultissimi tamen sunt, Neochristiani, qui & cōtemnunt & inutilem putant illam mulierum post partū benedictionem. An digniores maioresq; sunt homines isti Maria, quæ benedici sibi uoluit à sacerdote Simeone quam à puerperio tantum iter non exterruit, quo ueniret in templum, sibiq; & offerret, & benedictionem susciperet?

3. ¶ Simeon post illam diuinam laudem, impleta etiā iam iam benedictione, ad prophetiam cōuertitur. Et quamuis Iosepho non minus quàm Mariæ benedixerat, in prophetia tamen sese ad Mariam tantum conuertit: quicq; in benedictione Iosephum similitudine patris fraudare non uoluit, nunc tamē, q̄a Maria uera illa erat Christi genitrix, ei tantum loquitur, & de Christo puero tria prophetando prænunciat. Primum, Hic positus est in ruina multorum. Secundum, & in resurrectionem. Tertium, in signum quoq; cui contradicetur. Quam prophetiam multum expendit Ambrosius. diues enim & exuberans hic gratia declaratur, quæ per Christum in fideles est transfusa, sensum quoq; illum plane elicit, quē nos articulo iam secundo attulimus. Hactenus ego uobis benedixi. iam porrò ille benedicet, qui in resurrectione positus est multorum. Possent autem uerba hæc simpliciter admodū intelligi, etiā secūdem Origenem, in ruinam eum uenisse infidelium Iudæorum, & in resurrectionem

Hebr. 7.3.

pphetia
Simeonis.

Luce. 2.

Ambrosius

Origenes

credentium (non enim legendum est gentium, ut maculati libri habent) Sed nos et paulo adhuc penitius introspeciamus. Simeon dicebat: domine, uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Ecce salutaris illius præparatio per Christum facta est, coram omni populo, sicut & Paulus dixit: Deus

1. Timo. 2.

uult omnes homines saluos fieri. Salutare illud licet & omnibus à deo proponitur & paratur, nõ tamen ab omni- bus acquiritur, cum resurgentibus alijs, alij per infidelitatem in æternam corruant damnatione: quo modo Christus etiam in parabola illa euangelica, eos qui ad nuptias uocati erant, indignos fuisse prædicat. collapsi enim iam erant iuxta illam Simeonis prophetiam. Nec est quod intelligamus, cum ait Simeon, Christum in ruinam positum multorum, ruinam illam Christum facere, cum deus ut nullius mali autor est, ita peccare nequeat, sed ipsi sibi ruinam hanc parant homines, dum Christum redemptorem & saluatorem sibi datum, nõ tantum per infidelitatem suam non recipiunt, sed illi etiam mandatisque ipsius resistunt, idque per uitam suam peccatis perditam. Sanctus

Matth. 22

Augustinus similitudinem adducit huiusmodi: Sol cum plurimum radiat, uirtutem suam in bonis & malis oculis declarat. mali enim ex illis fulgentissimis radijs perturbantur, boni non item: idque totum ex oculis tantum pendet. Ita hic, cum aliqui corruunt, nouo illo iustitiæ sole Christo exorto, suoapte fit uitio & culpa, ut qui splendidi illum sanctæ & piæ conuersationis fulgorem sustinere non potuerunt.

Augustin.

¶ Simpliciter quoque ad Iudæos hæc referre aliquis posset, quorum sane plurimi nec doctrina, nec miraculis Christi moueri uoluerunt, qui sua tantum malitia sæpe in illo sunt offensi, sicut ipse etiam Christus dixit: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. An non offensi sunt, cum dicerent, miracula illum etiam tanta in Beelzebub facere?

Matth. 11.

Sed & discipuli eius nõ sine offensa dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest audire eum? cum illi de sacramento loqueretur. Dicebant quoque discipuli aliqui ad Christum: Scis, quia pharisæi audito uerbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Et

Matth. 12

Joan. 6.

loqueretur. Dicebant quoque discipuli aliqui ad Christum: Scis, quia pharisæi audito uerbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Et

Matth. 15

loqueretur. Dicebant quoque discipuli aliqui ad Christum: Scis, quia pharisæi audito uerbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Et

quot tandem in passione & morte Christi sunt scandali
 zati, qui cogitarunt filium dei morte tam contempra &
 ignominiosa crucis mori non debere, ubi Christus ipse a-
 postolos suos omnes scandalum in se passuros in illa no-
 cte praedixit: Quae omnia Paulus uno uelut fasciculo co-
 plexus: Nos, inquit, praedicamus Christum crucifixum, Iu-
 daeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis
 autem uocatis Iudaeis atque Graecis, Christum dei uirtute
 & dei sapientiam. Ecce quomodo in ruinam & resurrectionem
 multorum positus est Christus, secundum quod praedi-
 xit Simeon. Beda etiam hoc, uerbis Christi & Petri expo-
 nit, dicens: Bene in resurrectionem, quia lumen est, quia
 gloria plebis Israel, quia dicit, Ego sum resurrectio & ui-
 ta. qui credit in me, etiam si mortuus fuerit uiuet. & omnis qui
 uiuit & credit in me, non morietur in aeternum. Quomodo
 autem in ruinam, nisi quia & lapis offensionis est & petra
 scandali: id est, ruinam istis qui offendunt uerbo, nec credunt,
 de quibus ipse dicit: Si non uenissem & locutus eis fuissetem,
 peccatum non haberent, nunc autem excusationem non
 habent de peccato suo. Et ideo inter caetera de Christo in-
 quit Petrus, Vobis credenribus honor est, non credenti-
 bus autem lapis, quem reprobauerunt aedificantes, hic fa-
 ctus est in caput anguli, & lapis offensionis & petra scan-
 dali, istis qui offendunt uerbo, nec credunt, in quo positi
 sunt. Praeuidit hoc ipsum etiam propheta Isaias in spiri-
 tu: Dominus, inquit, erit uobis in sanctificationem, in
 lapidem autem offensionis & petram scandali, duabus do-
 mibus Israel, & in laqueum & ruinam habitantibus Ieru-
 salem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & contere-
 tur, & irretientur, & capientur. Hoc nimirum illud in
 Christo Iesu factum est, in quo Pilatus, Herodes, Annas,
 Caiphas, caeterique offensi sunt Iudaei. Ita praedixerat Isa-
 as, Ruit Ierusalem, & Iudas concidit, quia lingua eorum
 & adinventiones eorum contra dominum. Oh quoties
 contra Christum fuit lingua eorum, cum iam aduersus
 eum murmurarent, iam falsa excogitarent consilia, & ad
 ultimum testimonia quoque inuenirent inconuenientia
 & uanissima, sicut totus undique euangelii textus decla-
 rat.

Luce. 22.

1. Corin. 1.

Beda.

Luce. 2.

Johan. 11.

Johan. 11.

1. Petri. 2.

Isaie. 8.

Isaie. 3.

¶ Id omne & hanc quoque Simeonis prophetiam, suam
 iam Christus ipse testimonio confirmat, secundum Ori-
 genes, cum ait: In iudicium ego in mundum istum ue-
 ni, ut qui non vident, uideant: & qui vident, cæci fiant.
 Quomodo ergo in mundum uenit, ut non uidentes de
 nationibus, uiderent: & qui prius uidebant de Israël, cæ-
 ci fierent: sic uenit in ruinam & resurrectionem multo-
 rum. In aduentu enim domini gentes per fidem ueram
 resurrexerunt, & Iudæi interim fidem quam eo usque re-
 ctam habuerant, amiserunt, collapsi hic per induratam ob-
 stinationem in errorum barathrum, & illic in æternam
 damnationem. Neque uero hoc in Christi tantum perso-
 na est, sed & in suis membris, prædicatoribus nempe, in qui-
 bus ille positus est in ruinam & resurrectionem multorum.
 2. Corin. 2 Quod & Paulus testatur, cum ait, Quonia[m] Christi bonus
 odor sumus deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt:
 alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor ui-
 ræ in uitam. Quisquis enim ut ait Beda, prædicante apo-
 stolo, uerbum quod audit amando sequitur, bono odore
 surgit: qui autem odiendo insequitur, eodem ipso odore
 corrumpitur & moritur. Sed & ingens fuit Iudæorum ruina,
 etiam si corporaliter expendas. sancta enim ciuitas Ieru-
 salem destructa est, ipsique ex terra promissionis extrusi, &
 in uniuersum hunc orbem misere depulsi, pleni timore
 & molestia, sine regimine & magistratu, sed potestati
 Christianorum & Turcarum subiecti, in perpetuo degunt
 exilio. Quibus omnibus grauior adhuc est illa quam ani-
 mo contraxere iactura, quæ urget detrudique eos in da-
 mnationem æternam.

¶ Hinc iam inferemus & docebimus, cum in multorum
 ruinam postea sit Christus, quid mirum, si sanctum quo-
 que suum euangelium, scriptura illa sacra, in ruinam (hoc
 nunc præcipue seculo) posita est multorum, quæ multi-
 pliciter a deo de Christo iam olim à prophetis prædicta
 est & apostolis? Quot enim nunc prætextu uerbi diuini
 in hæreses prouoluuntur? Quibus tamen omnibus, quia
 euangelium non uero accipiunt intellectu, ab ipsis iam
 inde apostolorum temporibus in ecclesia semper obseruato,
 Euangelium eis sit in ruinam, idque tantum ex peruerso

*Euangeli-
 in ruinam
 heretico.*

suo intellectu. Quod tamen nunc nō est nouum. semper enim id ita contrigit, ut hæretici uenenum suū mixto sacrae scripturae melle conditum, proponerent. Siquidem omnes hæreses, secundum Augustinum, Hieronymum & Gregorium, ex scripturis sacris ortæ sunt male intellectis. Videte modo, quomodo scriptura in ruinam posita est & resurrectionem multorum: non quod id uitio fiat scripturae, sed tantum ex insolentia, excæcato sensu, & maleuolentia istorum, de quo aliàs plura. In summa ex ipso deo, ex scriptura diuina, & omnibus quæ ad deum pertinent, animus sibi per uersus ansam arripit peccandi. An non sic res habet? ex immensa illa dei misericordia quam multi pœnitentiam prorogant & contritionem? Et illis *Roma. 2* sane misericordia dei posita est in ruinam. Quam uero plurimi gratiæ diuinæ concessis sibi donis superbiunt in flatu, illisq; dum abutuntur, eadem faciunt sibi in ruinam. An paucos esse putas, qui sacramenta diuina conficiant indigne? Et ipsi sane ruinam sibi parant. Aut quis non blasphemus istos uidet nostri seculi hæreticos, sacrum Christi corpus in sacramento altaris abnegantes? Quis eriam uere fidelis & bonus Christi sectator, non uidet Christum hæreticis ruinam esse suæ damnatiōis maximam, contra quoq; bonis & pijs omnibus resurrectionem in uitam æternam? Quam nobis donet deus optimus & maximus, Amen.

HOMILIA

Eiusdem dominicæ secunda.

IN hoc sancto Euangelio reliquam adhuc unam habemus prophetiam Simeonis, & aliam Mariæ, cum sua ratione. Has quoq; nunc auxiliante deo ex scripturis sacris declaremus. Simeon ad Mariam ait: Ecce hic *Lucæ. 2.* positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Signum hoc intelligi potest de omnibus sanctæ fidei nostræ articulis, inquit *Origenes* Origenes. Omnibus enim qui narrat historiam de saluatore, id est, Euangelium, contradicetur, non quidem à fi-

- delibus, credimus namque quicquid scriptum est & uerū esse, & ad nostram salutem scriptum esse, ut Paulus ait. sed tantum penes infideles omne quod scriptum est, signum est cui contradicant. Quomodo autem doctrinæ contradicatur euangelicæ, patet. Siquidem Euangelium Christianis datum est in signum, sicut & Dauid ait: Domine, dedisti meruentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. Et in euangelio quidem in primis docemur, quid uoluntati diuinæ beneplacitum, & quid sit aduersum. Cui tamen signo Christi per uniuersum mundum contradicatum est, cum apostoli iuxta præceptum domini exirent euangelium prædicaturi omni creature, quemadmodū &
- Roma. 15.** Iudæi ad Paulum dicebant Romæ: De secta hac notū est
- Actuū. 28.** nobis, quia ubique ei contradicatur. Neque id sermone tantū, sed & facto, cum tyranni aquis usi sint, lapidibus, gladio,
- Hebræ. 11.** rora, flagellis, cruce, clauis, catenis, & feris quoque immanissimis ad euellendum euangelium. Et tamen signum illud nobile Christus uirtute sua retinuit & conseruauit, multis alijs miraculorum signis, quæ subinde per martyres suos operatus est deus, ut in eorū uicis auditis. Quis etiam quotquot opera faciunt Christiano indigna, toties Christo dici possunt contradicere, iuxta illud uerbum Pauli, Confitentur se nosse deum, factis autem negant.
- Tit. 1.** Hic cuiusuis hominis appello mentem & conscientiam, ut cogitet, quomodo nunc in mundo fiant omnia, cum breui adeo tempore, tantum hæresum & errorum irrupit, an non Christo, sanctoque suo contradicatur euangelio, quod iam olim omnes semper fecerunt hæretici? Christus in cœna de sacramento loquens, ait: Hoc est corpus meum. Huic uerissimo signo contradicunt sacramentarij, asserentes non esse illud uerum corpus Christi. Christus seruare præcepit, quicquid dixerint qui in cathedra sedent Moysi, docens qui prælatū audiat, eum audire Christum. Nunc uero isti prædicatores carnis surgunt, contradicentes & iubentes, præceptis tum ecclesiæ, tum prælatorum parendum non esse. Sanctus Iacobus fidem sine operibus mortuam esse prædicat. Nouelli autem Christiani contradicunt, fidem nullam esse contententes mortuam; siquidem fides sola hominem iustificat, Possem itaque

Omnes ueterum & recentium currere hæreticorum articulos, ut ampliter copioseque satis ostenderetur, contradictionibus huiusmodi Christianorum pias illas ordinationes dissui, & leges sanctas scindi, sicut dixit Habacuk: Factum est iudicium, & contradictio potèrior. propter hoc lacerata est lex. Habac. i.

2. ¶ Cum diligentius sanctorum patrū scripta inuestigo, inuenio Christū etiam signum esse positum uirtutum omnium, cui contradicunt peccatores omnes. In signum em castitatis positus est, cū conciperetur: in signū humilitatis, dum nasceretur. Est præterea signū patientiæ, signū redemptionis, signū illuminationis. Cuius rei per singula possent adferri scripturæ sanctæ testimonia, nisi breuitati mallems cōsulere. Huic illi signo cōtradiciunt peccatores omnes, uelut sagittarij in unū hunc scopum intendentes, ebrj & temulenti, superbi, impudici omnes: omnes impij, blasphemi cōcionatores cōtradiciunt huic signo, quotq̄ etiam peierāt temere. Et quid multa? Omnes qui mandata eius nō seruant, signo huic cōtradiciunt. Graue enim illud & plane seriū est, quod dixit Christus: Si uis uitam ingredi, serua mandata. Isti seruare nullum uolunt. Rursus inquit ille: Angusta est quæ ducit ad uitā, uia. Isti letam & ampliam uolunt, imò undiq̄ cōtra gubernationem & administrationem diuinam garrunt temere & murmurant. Ut recte in eorū p̄sona dixerit Habacuk propheta: Vsq̄quo dñe clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te uim patiens, & nō saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborē uidere, prædam & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustio rem se? Huiusmodi temerariæ oblocutiones, quia nunc quotidie fiunt, penè cœperunt uilescere, dum ijs nō paulo grauiorē parantur, quibus summā illam dei calumniantur monarchiam: usque adeo, ut quilibet quantumuis abiectissimus, etiam terræ filius, putet se, si deus esset, aliter longe mundū hunc gubernaturum. Vides nunc quomodo deus ipse signum sit, cui peccatores & homines temerarij omnes contradiciant? Posset hæc quoq̄ interpretatio per uniuersam scripturā satis fundata, latissime explicari. Sed hæc nūc sufficiant.

Matth. 19

Matth. 7.

Habac. i.

- ¶ De signo miraculorum, locum hunc quidam conantur exponere, quoniā miracula istiusmodi à Christo posita sunt in signum diuinæ potestatis, dicente Nicodemo:
- Johan. 3.** Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit deus cū eo. Quomodo cæcus ille natus quoq; dicebat: A seculo non est auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic (Christus) à deo, non poterat facere quicquā. Et sic undiq; miracula signa dicuntur: & ita ea Christus appellauit apud Marcum: Signa eos qui crediderint, hæc sequentur. Ita apud Iohannem & Paulum secūdo ad Corinthios & ad Hebræos. Verum illis quoq; signis Christi contradixerunt Iudæi, sicut Iannes & Mambres miraculis Moyfi corā Pharaone, eaq; tribuebant diabolo: sicut & gētes signa calumniati sunt sanctorū, dicentes ea arte fieri magica. Nec desunt adhuc hodie ex nouellis Christianis temerarij quidam, imò & hæretici, miracula sanctorū autori ferentes accepta diabolo, sicut apostata Oecolampadius, & alij complures faciunt. Hanc itaq; explanationem etiam hic lubens prætereo. Non alienum esset si induceretur, quomodo nostrates hæretici signo Christi contradicant, imaginī passionis suæ, eam conculcantes & confringentes, more & impietate Turcica. Sed & illa missa facimus. Tandem iam expositionem dabo communem. Neq; enim euangelium tantum & doctrina Christi, nec sua tantum, quibus probatissima uita, nec lex quoq; solummodo & miracula, signum illud sunt à deo positū, sed hoc quoq; nobile signum est crucis, imò Christi ipse. Et ita quidem Beda, signum, inquit, cui contradicetur, si dem dominicæ crucis accipe. Et Theophylactus quoque dicit: Quoniam signum crux, cui usq; in hoc tempus contradicetur, hoc est, non recipitur ab incredulis. In huius nempe figuram iam olim dixerat dominus ad Moysen: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, uiuet. Vnde & sanctus Gregorius ait: Honor & contumelia non longe abfuerunt. quòd enim Christus in signum erectus est, honoris fuit: quòd ei contradicatur, contumeliæ fuit. Catholicis nobis signum crucis est insigne decoris, Iudæis & gentibus id contemptibus & reijcientibus, imò etiā pedibus calcantibus.

Quamuis & ipse Christus signum illud non incommode dici poterit, sicut de seipso per prophetam loquitur, dicens: Posuerunt me quasi signum ad sagittam. Thre. 30

An non satis amarulenta, neque parum ueneno illita tela sua Iudei Christo in crucem suffixo incusserunt, dum maledictis linguis illum impeterent, omniq; calumnia profcinderent? Adeo ut ille non temere in persona Davidis conquestus sit: Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, lingua eorum gladius acutus. Hæc nimirum sunt quibus isti Christo contradixerunt. Vt ut tamen peruersi Iudæi pertinaciter reluctati sint olim Christo, idemq; iâ nunc pari impietate gentiles, Turcæ, hæretici quoq; & mali faciant Christiani: illud tamen & triumphabit signum, & permanebit in æternum, sicut prædixit Isaias Psalm. 56
Isaie. 55 : propheta: Erit dominus nominatus in signum æternum quod non auferetur. Signum illud constans & perpetuum nullus poterit Iudæorum contemptus, nulla quantumuis uehemens tyrannorum persecutio, nullum uirus, nullaq; secta abolere hæreticorum, sempiternum est enim, licet multum ei contradicatur. Per Psalmistam ergo dicebat deo patri: Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Nec ipse tantum, sed & Psalm. 174
Apo. 30 omnia sua sancta piaq; membra, quæ contradictiones uicerint huiusmodi, eodem testante qui promisit: Qui uicerit, dabo ei edere de ligno uitæ, & sedere mecum in throno meo, sicut & ego uici, & sedi cum patre meo. Multiplicem illam adeoq; uariam signi huius, cui contradicere, expositionem, non libuit deducere ad longum: leuiter tantum uelut extremo digito ostendere, ut appareat falsitatem, quam uerum sit illud Augustini, copiose & abundanter scripturam sacram huberrimum quendam secum afferre intellectum, nec ullum alteri contrarium, sed omnem illum iuxta salutarem, bonum & utilem, iamq; olim a spiritu sancto primum inspiratum.

¶ Deinceps quoq; Mariæ non nihil uaticinari pergit Simeon, declarans & ipsam participem eius fore, quod filius suus in signum positus esset cui contradiceretur, eiusq; non paruum partem ad ipsam quoq; peruenturam, & ait: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex mul Luce. 20

- Origenes.** tis cordibus cogitationes. Atqui nulla (ut inquit Origenes) docet historia, beatam Mariam ex hac uita gladii occisione migrasse, praesertim cum non anima, sed corpus soleat ferro interfici. Intelligi itaque illud oportet de gladio passionis dominicae, qui usque adeo tenerrimum cor Mariae ineffabili & immensa quadam compassione uelut transuerberauit. Quis enim illa Christum & dei filium non rat, & sponte sua mori sciebat, sicuti nec ambigebat ipsum de uicta morte triumphaturum, potenterque resurrecturum, cum non poterat eam latere, quod in Christi persona dixerat Oseas propheta: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, Ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne: non poterat tamen gloriosa illa dei genitrix Maria filium suum dilectissimum, ex se tam & admirabiliter & spiritu sancto cooperante natum, iam in tantis uidere doloribus, poenis & cruciatibus mori, nisi ipsa quoque ex animo uehementissime & acerbissime condoleret. Beda porro uult hunc esse scripturae morem, quoniam & Dauid dixit de Ioseph: Misit ante eos uirum, in seruum uenudatum est Ioseph: humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius. Et omnis iste dolor carceris tantum fuit, in quibus detentus est Ioseph. Ambrosius ipsidem hic utitur cum Origene & Beda uerbis. Addit tamen insuper, prudentiam Mariae haud ignaram caelestis fuisse mysterii. Siquidem uiuum est uerbum dei & ualidum, & magis acutum omni gladio acutissimo. Sanctus Damasceus Damasceus uelut peculiaris quidam uirginis Mariae seruator & amator, inde non multum dissentiens, inquit: Dolores quos non habuisti in partu, ut sentires te esse matrem, nunc exoluas in morte filii, sentiendo te esse matrem. natura enim quae dolorem remorata est & distulit, cum instaret iam tempus, & acuit fortius & auxit. Quam etiam ob causam sanctus Hieronymus in sermone de assumptione beatae Mariae, ad Paulam & Eustochium scribit: Beata dei genitrix & martyr & uirgo fuit, quis in pace uitam finierit. Hinc quoque quod uere passa sit, testatur Simeon propheta loquens ad eam: Et tua, inquit, ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo constat, quod martyr fuerit. Alii namque sancti, etiam passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata uero dei geni-

rix, quia in ea parre passa est, quæ impassibilis habet, imò
 (ut ita fatear) quia spiritaliter & atrocius passa est gladio
 passionis Christi, plus quæ martyr fuit. Et infra: Quæ ga mē-
 te passa est, plus quæ martyr fuit: quia mortē Christi suā fe-
 cit, sicut & propheta Ioël secundū quorundā prædixerat
 interpretationē, cū diceret: Sol cōuertetur in tenebras, **Joel. 2.**
 hoc est, Christus in passione sua, & luna in sanguinē, Ma-
 ria nempe per suam cōpassionē. Tantus autē & tam uehe-
 mens ille fuit in Maria dolor, iuxta sententiā doctorū, ut
 ipsa eum uiribus sustinere & perferre naturalibus nequa-
 quam potuisset, nisi singulari quadā & præuenta & adiu-
 ta esset uirtute diuina. Vnde & Bernardus ait: Vere tuā, **Bernard.**
 beata mater, animā gladius pertransiuit: alioquin nō ni-
 si eam pertransiens, carnem filij sui penetraret. Et quidē
 postea quæ emisit spiritū tuus ille Iesus, ipse plane nō atti-
 git animā crudelis lancea, quæ ipse aperuit latus, sed tu-
 am utiq; pertransiuit animā. Tuam ergo pertransiuit ani-
 mam uis doloris, ut plus quam martyrē nō immerito præ-
 dicemus, in qua uirū corporeæ sensum passionis exce-
 ferit cōpassionis adfectus. Et itē, Fugientibus apostolis,
 in faciē filij sui se opposuerat mater, ac gladio doloris ei⁹
 animæ infixio, uulnerabatur spiritu, & cruciabat adfectu.
 Et quod in carne Christi agebant clauis & lancea, hoc in
 eius mente faciebat compassio naturalis & adfectionis
 maternæ angustia.

¶ Claudit iam prophetiam suam Simeon: Ut reuelen-
 tur ex multis cordibus cogitationes. Vbi quod ad literam
 attinet, apertum est sane, quomodo penetrante pectus
 Mariæ gladio in ipsa Christi passione & morte, reuelatæ
 sint cogitationes plerūq; hoīm omniū. Namq; & Christus
 iam ante apud Iohannē discipulis suis dixerat: Nōne ego **Johan. 6.**
 uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Verbū
 autem illud usq; ad passionē Christi, quid sibi uellet, non
 patuit: siquidē tunc demū discrimē apparebat Iudæ & Pe-
 tri, Petri item & Mariæ. Tunc quoq; tandē constabat, qd
 erga Christum in pectore celauerant Annas & Caiphas,
 quōq; in eundē animo fuerāt Nicodemus & Ioseph. Sed
 & uixdū nato Christo idem hoc statim apparuit. Namq;
 cū primū fama de Chfo per tres magos prebuisset, tur-

- Matth. 2. batus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, pasto
 Luce. 2. res uero cū omni gaudio euangeliū adnunciauerunt pa-
 cis. Nec multo post, Christum, cum iam prædicare cœpisset, quidam ut magistrum secuti sunt ueritatis, alijs inter-
 rim eum tanq̄ seductorem fugientibus. Quidam etiā dicebant, quia bonus est. alij uero dicebant: Non, sed seducit turbas. Atqui ne nunc quidē ira pacatam semper finit
 3. Johan. 7. Ecclesiam suam sanctam esse deus, ut non calamitates interdum in ea subnasci permittat, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes: quod & iam nostro tam calamitoso seculo uidemus euenire, quo quot tādē homines, imō urbes etiam & oppida, à catholica quotidie decidunt ecclesia, à Christianis deficiunt ordinationibus? Et tamē qui nunc primi cadunt, eos ante annos aliquot (quantum humano licet adsequi iudicio in illis externis) optimos
 6. Reg. 10. credidisses Christianos. Deus autem intuetur cor. Ad eisdem quoq̄ modum per ipsos prædicatores non raro reuelantur cogitationes multorum, qui & ecclesias frequēter ingrediuntur & orant, ita ut habeantur optimi. Verū ubi primum stimulis tanguntur ueritatis, tunc demum furore perciti inelamitant: Nihil nouit sacrificulus dicere, nisi ista &c. Ecce quomodo prædicatoris uoce, hominum cogitationes reuelantur. Atq̄ huiusmodi hominū reuelationem & probationem Paulus in cæteris ponit rationibus, quamobrem hæreses fieri permittat deus, qđ nostris nunc temporibus prohdolor uidemus accidere, ait enim: Oportet hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in uobis. Et uos itaq̄ charissimi, laudem date Christo Iesu, & gratias agite in omnibus, quoniam fecit uobiscum hætenus misericordiam & gratiam illam, in istis tam periculosis temporibus, quibus fides catholica usq̄ adeo fluctuat & periclitat: quod & tam misericorditer uos in sua illa sancta, antiqua, indubitata, uera & Christiana fide cōseruauit, nec excidere permisit ex unitate sanctæ ecclesiæ catholicæ, sicut alij multi semet separauerunt ab illa. Verum isti, ut ait Iohannes, ex nobis prodierunt, sed nō erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq̄ nobiscum. Sed ut manifesti sint, qm̄ non sunt omnes ex nobis, Sed uos unctionē habetis à sancto

scilicet spiritu, & noſtis omnia, quæ ad ſalutē uobis ſunt neceſſaria. ſuſtinere modo, & perdurate in illo ueſtro, p poſito ſancto, deumq; ſedulo orate, ut ille uos in tanta fi dei cōſtantia ſemper cuſtodiat, iam hic per omne m uitā & tandem in morte, poſt quam uitæ uobis ſempiternæ feliciffima gaudia donet, Amen.

HOMILIA .III.

Eiuſdem dominicæ.

Diligenter omnino & fideliter euangelista deſcri pſit, quæ Mariæ cōrigerunt Hieroſolymis, cum primum egreſſa eſſet puerperij tēpus, puerumq; Ieſum in templo præſentatſet, quanta ibi myſteria ſancti Simeon prophético ſpiritu prædixerit de Chriſto ſimul & Mariæ. Nunc uiduā quoq; commemorat, dicēs: Et erat *Luce. 2.* Anna prophetiſſa filia Phanuel, de tribu Aſer, hæc proceſſerat in diebus multis &c. Iuxta hiftoriam, cōuictum Annæ hic declarari Beda ait honeſtiſſimum, dignamq; ſe nectam tali maxime muliere, quæ Chriſto dño testi monium perhiberet. Et fungitur hic euangelista fideliffimi *Beda.* uelut notarij officio, dum teſtem deſcribit, primum à no mine, deinde à tribu, mox à ſenectute &c. ut uel ſic tandē quod narraturus erat, & certius habere tur, & ueriſimili us eſſet teſtimonium: quod tamen ruruſum Beda ad my ſticum referens ſenſum, Annam ſignificare dicit eccleſiā, *Beda.* quæ in præſenti quaſi ſponſi dominiq; ſui eſt morte ui duata. Anna enim gratiam ſignificat & miſericordiam. habet autem eccleſia gratiā ex deo & ſancta ſacramenta. Sed hæc tranſeant, ad literam redeo. Anna hæc ſecundū *Ambroſij.* Ambroſiū in huiuſmodi uirtutibus & moribus ab Euan gelista laudatur, ut quæ digna habita ſit aduentum nun ciare redemptoris mūdi. Iam uero cōiuges duo prophe tauerāt, Zachariās & Elizabeth: uirgines quoq; duo, Ma ria & Ioseph, Simeon ille ſenex, & paruulus adhuc in ute ro matris clauſus Iohannes. Vidua deerat, cuius nunc tan dem meminit Euangelista: unde colligere licet, ipſum quoque Simeonem cēlibem fuiſſe. aliās enim ſua quoque ad Chriſtum ueniſſet comitatus uxore. De nomine q.

que Annæ hic taceo, & de quinque nominis huius laudatissimis mulieribus. Vide homiliam in die sanctæ Annæ.

Hieronymus. ¶ Ex quatuor autem hic Euangelista Annam commendat. Et primum quidem à genere, quoniam filia fuerit Phanuel de tribu Aser, in quo quis multum adeo positum non est, maxime cum proprias cuiusque intueamur uirtutes, uerum est tamen quod ait Hieronymus: Hoc solum uideo in nobilitate generis appetendum, quod quasi quadam necessitate astringuntur, ne à maiorum nobilitate degenerent, maxime cum hoc fiat sepius, quod patri optimo filius obtingat pessimus, sicut Adæ Cain, Noæ Cham, & Abrahæ Ismael. Et contra quocumque fit, ut parens iniquus filium habeat optimum, sicut de Achaz legitur, quoniam male fecerit, exemplo aliorum regum Israël, filium suum per ignem transferens & consecrans idolis, aliasque impias idololatrarum uanitates exercens: qui tamen pius habuit filium Iezechiã, de quo scriptura ait, quod fecerit bonum coram domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. Quis hoc in ea re periculum est, quod plerumque arbor mala malos fert fructus, & (ut Iezechiel inquit) prouerbiū est, Sicut mater, ita & filia. Sed & in ipsa Christi generatione clare conspiciamus, non semper moribus & uita liberos suos representasse parentes. Ut autem sit illud, Euangelista hic tantum dicit, Annam Phanuelis fuisse filiam de tribu Aser. Et quod illum in uirtutibus sit secuta, ex sequentibus patet, cum eam prophetissam nominat.

¶ Celebres porro in ueteri testamento prophetissas quatuor agnoscimus: Primam Mariam illam Moysis sororem, quæ canticum deo cecinit pro populo ex redemptione Pharaonis. Quæ sane figura erat redimendi aliquando generis humani per Christum, sicut in Exodo legitur: Sumpsit Maria prophetissa tympanum in manu sua. Secunda Deibora fuit, quæ per sapientiam qua plurimum ualebat, populum rexit, defenditque ab hostium incursum. Et hæc typum gessit sapientie Christi, qua ille & demones uicit, & infernum expugnauit. Tertia uero Olda fuit, quæ Iosifæ regi Iuda prædicebat eum in pace moriturum quidem, sed tamen iram dei uenturam super populum. Quo etiam modo pax Christi erit super regem Iuda, hoc est, su-

Exod. 15

Judic. 4

4. Reg. 22

per omnes qui Christum confitentur, fideq; simul & ope
 ribus eum collaudant: sed tamen ira interim dei peccato
 ribus non parcat. Quarta deniq; prophetissa illa est, cui^s
 hic mentio fit, Anna: quæ quam cæteræ istæ typo tantū
 quodam & figura significârunt, aperte cōfessa est uerita-
 tem. Neq; in nouo quoq; testamento prophetissæ defunt
 quatuor illæ Philippi filiæ. Et non temere euangelista *Actu. 25*
 hic tribus Aser meminit, siquidem uox hæc Hebræis bea-
 rum sonat, sicut & Lia à partu suo dixit: Hoc pro beatitu-
 dine mea, beatam quippe me dicent omnes mulieres. p. *Sene. 30*
 pterea appellauit eum Aser. Quomodo autem hæc An-
 na gratiam ex deo tantam habuerit, ut in spiritu Iesum
 agnosceret esse Messiam, euangelista porro cōmemorat,
 quibus exornata fuerit uirtutibus, sicut & Simeon, qui etsi
 iam iustus & timens deum commendatur.

¶ De statu uiduarum pie & propter deum obseruato,
 quanquam sit ille & honestus & deo bene placens, cū Ori-
 genes hic clare docet, tū uero Paulus ad Corinthios non *1. Cor. 7*
 paulo euidentiùs arguit, dicens: Non nuptis & uiduis di-
 co, bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego. unde *1. Timo. 5*
 & discipulo suo Timotheo præcipit: Viduas honora, quæ
 uerè uiduæ sunt. Et hæc sane quæ sint deo gratæ, uel hinc
 apparet, q̄ toties præcepit, ne qua eis uis inferatur, neue
 opprimantur à quoq; sicut cōstat in lege Deuteronomi
 uicesimoquarto, Isaïæ primo, Ieremiæ quinto, Iob uice-
 simoquarto, Ieremiæ uicesimosecundo, Zachariæ septi-
 mo. Et ideo dñs præcipiens ait: Viduæ & pupillo nō nocē-
 bitis, si læseritis eos, uociferabuntur ad me. Sed tu mihi *Exodi. 22*
 sapientē quoq; audi dicētē: Nōne lachrymæ uiduæ ad ma-
 xillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem *Eccl. 35*
 eas? A maxilla em̄ ascendunt usq; ad cælū, & dñs exaudi-
 tor nō delectabitur in illis. Vbi ego quotquot magistra-
 rum gerunt, admonitos diligenter nolo, ut pupillos &
 uiduas sedulo tueantur, nec iniuste patiantur opprimi.
 Quod sane qui faciunt, nec æquitatem, nec diuinum at-
 tendentes præceptum, non tantum hic temporaliter ob-
 id punientur, uerum etiam iniquitatis tantæ grauem co-
 gentur aliquando rationem reddere coram deo in iu-
 stissimo illo dei iudicio. Et uæ igitur illis, uæ inquam.

- qui pupillis bona etiam detrahunt sua, alienant aut collusiones faciunt &c. Merito ergo Anna eo etiam laudatur hic magis, quod uidua fuerit, quodq; progressa ita iam ad annum 84. peruenerit. Sicut enim bonum erat, inquit beato Augustino, quod Martha faciebat occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria soror eius sedens ad pedes domini, & audiens uerbum domini: ita bonum Susannæ in castitate coniugali laudamus, sed tamen ei bonum uiduæ Annæ, ac multo magis Mariæ uirginis anteponimus. Super hac re quisquis plura desiderat, uideat Ambrosium, qui peculiarem etiã scripsit librum in laudem uiduarum: nō istarum tamen, quæ temere & iniquissime lasciuunt, sed quæ pie & sancte uiuunt in Christo. Vnde etiam cum nos de uiduarum laude & dignitate loquimur, non est, quod in uniuersum omnes intelligas, quæ suis orbatae sunt maritis, sed eas tantū quæ in laudem & honorem dei, constanter animum inducunt in cœpta castitate uitā suam finire. hoc enim adfectu pio Paulus uiduas uirginibus coniungit, dicens: Mulier inuoluta & uirgo cogitat quæ domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Huiusmodi uiduas pias & sanctas multū remunerabit deus. Rationem addit Ambrosius, quoniam uiduæ iuuenes acrius tentantur quàm uirgines, propter recordationem delectationis expertæ. Cum itaq; tanta constantia decertantes, de diabolo, mūdo & carne fortiter triumphent, merito etiam à deo plurimum remunerantur, iuxta illud Psalmi: Viduas eius benedicam, hoc ē, secundum idioma Hebraicum, ualde benedicam. Et rursus in alio loco: Custodit dominus aduenas, pupillum & uiduā suscipiet. Et igitur inter cæteras p̄claras illas, quas Iudith deferebat populus, laudes dicebat ad illā: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti uiriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post uirum tuum, alterum nescieris.
- I. ¶ Amplius adhuc euangelista Annam laudaturus, honestam talique uidua dignissimam conuersationem de templo assidua clarat & uitam. Ac principio quidem seculitatem illam tantam, ita ut à templo nō recederet. Quod etiam nō sic

intelliges, quasi in templo desederit assiduò, sed quia iuxta Glossam in eo frequenter fuerit: qui ferè uulgatus è loquendi modus, etiam apud Apostolum: Memoriam ue-
stri facientes in orationibus nostris sine intermissione, hoc est, sedulo. Quàuis non desunt, qui putèt eam ita in templo semper fuisse, ut etiam ibi còtinuo habitàrit, sicut etiamnum Romæ ad sanctum Petrum aliqui includi sese patiuntur, templũ illud per omnẽ uitam nõ egres-
suri. Deinde à ieiunio q̄q; cõmendat. Et ubi sunt Neochristiani, imò ex Christianis fucati & hæretici, q̄ ieiuniũ & pi-
as preces iuxta respuunt? Ecce hic Anna ex utroq; peculiariter collaudatur: adeo, ut ob id testis Messia facta sit. Quamuis quid opus est multis hoc loco illud commemorare, quando tota scriptura undiq; plenissima est testimonijs locorum aduersus hæreticos istos ieiunium contem-
nentes? Nanq; per Ioëlem dominus ait: Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, fletu & planctu, & scindite corda uestra. Vt iam non immerito euangelista Annam tertio loco ab oratione commendet. siquidẽ iuxta salubre illud Tobiaẽ consiliũ, Bona est oratio cũ ieiunio & elemosyna. In hoc uelut speculo iam se nostrates contemplantur uiduæ, considerantes non suum esse, ut hincinde per plateas discurrant, ut ad omnes choreas & saltus cursitent, ut nimium lasciuiant, ut crapulentur, potitent, garrulentur. Sed in templo potius sint sedulæ, conuersationis sint honestæ, orent & ieiunent, ac tum demum status ille earum non tãtum coram deo laudabitur & hominibus, uerumetiã in æternam ipsis cedet remunerationem. Nunc deniq; testimonium Annae euangelista commemorat, quæ eadem qua Simeon hora uenit, quaq; puerum Iesum Maria obtulit in templum. Sed quid de uerbo ad uerbum locuta sit Anna, in euangelio expressum non est. tantum enim dicit euangelista, quoniam cõfitebatur domino, & loquebatur de illo omni-
bus qui expectabãt redemptionem Israel, hoc est, ex sententia Theophylacti, gratias agebat, & docebat de domino, quod ipse esset saluator & consolatio nostri, expectãtium redemptionem. Nec est quod dubites, quin, sicut ea hora in templum aduenit Simeon instinctu spiritus san-

1. Thes. 2.

II.
Ieiunium.

Joel. 2.

III.
Tobie. 2.

eti, ita etiam Anna eodem uenerit inspirante. Et rationem quidem, cur Euāgelista Annæ uerba in propria forma non posuerit, adferunt nonnulli, dicentes eum Simeonis uerbum, non Annæ expressisse, quod mulieres filere magis quam loqui in ecclesia, & doceri quam docere debeāt, ex doctrina Pauli: Mulieres in Ecclesijs taceant. non enim permittitur eis loqui. Sequitur: Et ut per fecerunt omnia secundum legē domini, reuersi sunt in Galilæā in ciuitatem suam Nazareth. non ita tamen, ut illic permāserint, quandoquidem nō multo post Ioseph ab angelo admonitus, fugit in Aegyptū. Rebus ergo suis compositis, aufugerunt illuc cum puero. Quod cum satis descripsit Matthæus, Lucas non commemorat.

Matth. 2.

Christus creuit.

Eph. 4.

Christus confortat⁹

¶ Postremo egregia euangelium hoc clauditur corōnide, Puer crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia dei erat in illo. Quod sane intelligendum uenit, cum eorum omnium, quæ Matthæus adhuc de fuga in Aegyptum scribit, inclusione. Et si uero poterat CHRISTVS iustam statim & perfectam sibi adsumere magnitudinem, uoluit tamen ut puer tempore crescere, non dedignatus omnem illam humanæ naturæ conditionem, dummodo peccatum exceperis, suscipere. Verum de hoc aliās. Satis enim hic est & dicere & nosse, quod corpore creuerit CHRISTVS ordinate, usque ad iustam ætatem, secundum naturalem perfectionem, modum in hoc præscribens & terminum omnibus hominibus, quoniam sint resurrecturi ætatis habitu, sicut & Paulus dicit: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis CHRISTI. Qua de re plura dicentur in sermonibus de nostra resurrectione. Hoc ergo primum illud est, quod puer paulatim corpore creuit. aliās enim uisum fuisset phantasma, ut ait Theophylactus.

¶ Addit deinde Euangelista, Et confortabatur. Vbi si uirtutem Christi expendas animale m, seu uitalem aut naturalem, non est quod ambigas corporea eum mole creuisse, cum eadem ratione qua imbecillitatem suscepit humanam, & creuerit etiam, & sit confortatus. Verum si confortationem inspicias spūs, confortatus ille nō est. si qui-

dem quamuis etiam ad eum confortandum angelus descendit de caelo in montem Oliueti, non tamen id accipiendum ita est, quasi ipsum confortarit, cum legantur alibi accessisse ad eum & ministrasse illi, unde & ministri eius fuerunt quidem, non confortatores: sed angelus ille se habuit in modum consolantis seu confortantis, & ueluti dicentis, Ah domine operare salutem mundi per passionem tuam &c. uide in passione.

Lucę. 22^pMatt. 4^v

¶ Porro Euangelista puerum sapientia plenum uocat. Et hic quoque nemo ea sit stoliditate, ut putet Christum etiam secundum humanitatem creuisse scientia, ratione & sapientia, sicut pueri indies efficiuntur prudentiores. Absit enim procul hac nos tribuere CHRISTO tam insignem contumeliam, quamuis id ex ueteribus impurissimus hæreticus Nestorius, & ex recentioribus isto nihilo inferior Zuinglius somniarunt. Verum hoc doctores catholici intelligunt eo modo, nõ quod in sapientia creuerit, secundum sapientiam in se, sed tantum in exhibendo & notificando illam, ita ut indies magis ac magis apparuerit. & sic Theophylactus dicit: Prodigiosum uisum fuisset, si CHRISTVS, quãdũ paruus fuisset, omnem ostendisset sapientiam, quamuis in ipso adhuc uirginis matris utero tanta fuerit in illo sapientia, quanta iam in cruce fixo. Idẽq; adeo esse uerissimum scripturæ testantur. namq; de humanitate CHRISTI Iohannes ait: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratia & ueritate. Sed & Paulus in CHRISTO reconditos thesauros omnes sapientiæ & scientiæ prædicat. Et Isaias: Super eum, inquit, requiescet spiritus scientiæ & sapientiæ. Neque aliud est quod cum uirum appellat Ieremias, nisi quod anima CHRISTI rationem & sapientiam omnem habuit a principio suæ creationis, cum ait: Creauit dominus nouum super terram, foemina circũdabit uirum. Quodnam illud est nouũ, nisi quia anima CHRISTI in utero matris intellectum habuit uirilem? Et quod iam de Christi sapientia dictum est, idem de eius sentiendum est gratia. tantum enim gratiæ benedicta Christi anima principio statim suscepit, ut plus suscipere non potuisset, neq; enim secundum mensurã da

Christus
plenus sa-
pientia.In disput.
Bernensi.Johan. 1^d

Colos. 2

Isaę. 11,

Jeremi. 31.

Johan. 3.

tus illi spiritus erat, & in eo tamē requieuit plenitudo diuinitatis, atq; ideo incrementum gratiæ in illo, non secundum gratiam in se factum est, sed tantum in exhibitione externa. Et ideo plenitudinem ille habet gratiæ, ut omnes nos ex illa reciperemus, ut Iohānes ait. Et hic quidem in tempore gratiam suam, illic autem gloriam, quam nobis tribuat deus, Amen.

DOMINICA POST

FESTVM

Epiphania

Isaie. 27.
Actuū. 3.



Matth. 7.
Marc. 6.

IN illo tēpore: Cum factus eēt annorum duodecim, ascendenti- bus illis in Hierosoly- mam secundum cōsue- tudinem diei festi, con- summatisq; diebus, cū redirent, remansit puer Iesus in Ierusalē, & nō cognouerunt parentes eius. Existimantes autē illum esse in comitatu, uenerunt iter diei, & re- quirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requiren- tes eum. Et factum est post triduum, inuenerūt illum in templo, sedētem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupe- bant autē omnes qui eum audiebant, super pru- dentia & respōsis eius. Et uidētes admirati sunt.